

in litteris antiquis *Heynii*? Quorum virorum doctrina usus est Hauptus per integrum annum, per quod temporis spacium historiae inprimis dedit operam, quo transacto ad studia iuris rediit, ut in privatae domus umbra per otium ad honores litterarios capessendos sese pararet. Anno aetatis tertio et vicesimo summos in iurisprudencia honores ambiit, qua de caussa scripsit commentationem ad legem Iuliam de poena adulterii, quae dissertatio cum propter rerum antiquarum iuris-que Romani cognitionem, tum propter Latini sermonis elegantiam hodie quoque praeclarissimis in hoc genere scriptis adnumeratur atque in libris Ictorum magna cum laude excitatur. Quibus honoribus quum esset ornatus, non defuerunt, qui hortarentur, ut vitam litterarum universitati dicaret atque in cathedra publica docendi muneri se applicaret. Neque defuerunt similes invitationes postea, quum iam in patriam urbem esset revorsus, in quibus commemoranda est evocatio, qua ei locus in collegio *Scabinorum Lipsiensium* est oblatus; quas omnes recusavit constanter, patriae civitatis amore permotus, ut Zittaviae suae et vitam et operam ad extremum spiritum consecraret.

In hanc patriam urbem rediit anno CIOCCCXCVIII, quum annum ageret aetatis quartum et vicesimum. Proximo anno iniit matrimonium duxitque *Eleonoram Lachmanni*, pastoris illo tempore primarii in dioecesi Zittaviensi filiam; quod matrimonium mutua caritate iunctum, faustum fuit Haupto ac fortunatum, mascula prole una beatum, quodque marito non uxorem, sed vitae sociam cordatam et factorum consortem humanissimam praebuit, quae summa cura maritum complexa, quemadmodum totius vitae, ita senectutis extremae pia fuit ac suavis consolatrix. Biennio post in amplissimum ordinem senatorium receptus, quartum inter senatores locum habuit, cui loco coniuncta erant officia quaedam secundaria, nec tamen minus gravia, veluti *delegati ad pias causas, curatoris scholarum popularium*, quibus accessit cura pagi *Gross-Schoenau*⁵ nominati et textrinae lintae famigeratissimae, quae in illo pago ab incolis factitata floret.

Ab hoc tempore secuta est vitae eius pars actuosissima et gravium pariter atque difficilium negotiorum plenissima. Anno enim in-

5. De pago *Gross-Schoenau* eiusque nobilissima textrina lintea (Damastfabrik), per orbem terrarum incluta, cf. *Richter*, Geschichtliche Darstellung der Damastmanufactur-Orte Gross- und Neu-Schoenau. Leipzig, Klinkhardt. 1837. *Pescheck*, Handbuch der Geschichte von Zittau, pag. 252. *Lausitzer Magazin*, Jahrgang 1832. pag. 14 seqq.